

qui Dominum promerentur. Et filii Aaron, qui imposuerunt altari ignem alienum, quem non praeceperat Dominus, in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt. Quos imitantur scilicet et sectantur, qui Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt; et magisteria humanae institutionis inducunt: quos increpat Dominus et objurgat in evagelio suo, dicens: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis.

XV. Pejus hoc crimen est, quam quod admisisse lapsi videntur: qui tamen in poenitentia criminis constituti Deum plenis satisfactionibus deprecantur. Hic ecclesia quaeritur et rogatur: illic ecclesiae repugnatur. Hic potest necessitas fuisse: illic voluntas tenetur in scelere. Hic qui lapsus est, sibi tantum nocuit: illic, qui haeresim vel schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Hic animae unius est damnum: illic periculum plurimorum. Certe peccasse se hic et intelligit et lamentatur et plangit: ille tumens in pectore suo, et in ipsis sibi delictis placens, a matre filios segregat, oves a pastore sollicitat, Dei sacramenta disturbat. Et cum lapsus semel peccaverit, ille quotidie peccat. Postremo lapsus, martyrium postmodum consequutus, potest regni promissa percipere; ille si extra ecclesiam fuerit occisus, ad ecclesiae non potest praemia pervenire.

XVI. Nec quisquam miretur, dilectissimi fratres, etiam de confessoribus quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam nefanda, quam gravia peccare. Neque enim confessio immunem facit ab insidiis diaboli, aut contra tentationes, et pericula, et incursus atque impetus saeculares adhuc in saeculo positum perpetua securitate defendit. Caeterum nunquam in confessoribus fraudes, et stupra, et adulteria postmodum videremus, quae nunc in quibusdam videntes ingemiscimus et dolemus. Quisquis ille confessor est, Salomone major, aut melior, aut Deo carior non est.

II Paral. 20. — IV. Reg. 5. — Marc. 7.